R. A. 28 Maij 1630 2/9 30

✠

VOTA, ET MOTIVA REGIÆ AVDIENTIÆ IN PROCESSV REVERENDI THOMÆ ALEGRE, SVPER INFANTIONIA.

Anno 1630.

IN DEI NOMINE, Amen. Nouerint vniuersi, quod anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo, die vero quæ computabatur vigesimo octauo mensis Maij, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camara Regij Consilij Ciuili præsentis Regni Ara gonũ, interuenerunt Magnifici dñi Hieronymus Marta, Regens Cancellariã, Ioannes Franciscus de Salazar, Dominicus de Escartin, Frãciscus Mirauete, & Petrus Taraço na, Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus *Thomæ Alegre*, super Infantionia; in quo omnes dicti quinque Magnifici domini de dicto Regio Consilio concordes (præmissa relatione, &c.) fuerunt voti, & opinionis, *quod atten. content. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & declarare, Thomam Alegre exponentem, non fore, nec esse Infantionem, nec debere gaudere priuilegijs, libertatibus, nec immunitatibus Infantionibus præsentis Regni Aragonum concessis, & indultis, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere.*

Ex eo, & alias declaratur, dictum Thomam Alegre exponentem non fore, nec esse Infantionem, *quia eius intentio non fuit legitimè probata potius, ex deductis, exhibitis, & probatis pro parte Regij Fisci penitus fuit eneruata, atque elisa*, proposuit enim originem ducere à familia, & casali antiquo Militum, & Infantionum Villæ de Luna, cognominis de los Alegres, Petrumque Alegre eius quartum auum fuisse domi-

num

num, & possessorem prædicti casalis, & inter alios procreasse in filium Ioannem Alegre, qui se contulit in locum de Villarroya, in quo matrimonium contraxit cũ Maria Yzquierdo, ex eoque suisse procreatum Bartholomæum, & ex Bartholomęo, Ioannem secundum, à Ioanne secundo Bartholomæum secundum, & à dicto Bartholomæo secundo prædictum exponentem, quamuis autem de qualitate familiæ, & casalis de los Alegres de Luna satis appareat, dictum tamen exponentẽ originem ducere à prædicto casali, & familia, *non fuit legitimè probatum, contrarium autem magis verum censemus ex depositionibus plurium testium asserentium super cedula defensionum, originẽ duxisse à Loco de Balbona*, omnesque dicti cognominis de los Alegres, *vicinos de Villarroya* fuisse descendentes, ex vna eademque *familia*, videlicet à tribus fratribus, qui pluribus annis iam elapsis à dicto Loco de Balbona se cõtulerunt in prænominatũ Locum de Villarroya, fuisseque homines conditionis, & signi seruitij, quod asserunt, atque deponunt plures testes, dicti cognominis de Alegre, tam Loci de Villarroya, quã Loci de Allepuz, & etiam ex alijs Locis, & aliqui ipsorum asserunt esse consanguineos eiusdem exponentis. Quibus circa originem prædictæ familię magis credendum est, quam alijs qui de auditu maiorum deponunt, melius enim informatus, cẽsetur testis eiusdem familiæ, de eius origine, quã extraneus, maximè cum deponant contra proprium interesse, quod eis poterat euenire, ducendo originem ex familia Militum, & Infantionum.

Nec in contrariã sententiã nos ducit instrumẽtum, exhibitum pro parte dicti exponentis, in quo asserit, dictum Ioannem Alegre, anno millesimo quatuorcẽtesimo nonagesimo tertio, die vigesima tertia mẽsis Maij, comparuisse in Curia, coram Iustitia, & Iuratis Loci de Villarroya, simul cũ Maria Yzquierdo eius vxore, & Bartholomæo filio, & allegasse ipsum esse Infantionem, & originem ducere à dicto casali Infantionum de los Alegres Villæ de Luna, duosque testes produxisse, qui illud deposuerũt, de quo *fuit protestatus*, quia ex inspectione prothocoli, ex quo dictum in-

instrumentum fuit desumptũ, eius fides omnino suspecta redditur. Cum enim dicatur, in principio esse prothocolũ dicti anni millesimi quatuorcẽtesimi nonagesimi tertij, in folio decimo dicti prothocoli pagina secunda reperitur, quodam instrumentum, quod fuit concessum anno millesimo quatuorcentesimo octuagesimo septimo. Et in eodem folio decimotertio, in quo dictum instrumentum protesti scriptum reperitur in pagina prima, reperitur quoddã instrumentum, quod fuerat receptũ anno octuagesimo octauo, quamuis hodie legitur, & apparet fuisse falsificatum. Ex quibus, & alijs, & attenta inspectione prothocoli resultãtibus, nullam fidem prædicto instrumento adhibendam censemus.

Nec parum hoc idem suadetur ex inspectione librorum exhibitorum pro parte Regij Fisci, ex quibus manifestè apparet, tempore quo asserit fuisse concessum dictũ instrumentum, non esse Iustitiam, nec Iuratos Loci de Villarroya, qui in eodem instrumento nominantur, sed alios diuersos, quod vrgentisimã suspictionem *falsitatis* inducit; & etiam, quia dictum instrumentum erat iuridicum, & non erat continuandum in dicto prothocolo, sed inter actus Curiæ dicti Iudicis, neque Iurati tenebantur accedere ad Curiam, vt coram eis dicta probatio, & protestatio fieret.

Rursus in vltimo folio dicti prothocoli reperitur, quoddam instrumẽtum, in quo nominatur minor Ioannes Alegre, maritum Mariæ Yzquierdo, ex quo colligitur iam eo tempore adesse Ioannem Alegre maiorem, & etiam probatur ante dictum tempus, Ioãnem Alegre minorem fuisse Iustitiam, & Iuratũ dicti Loci de Villarroya, quod non conuenit cũ dicto instrumento protesti, neque cum intentione exponentis, si enim esset extraneum à dicto Loco, & Infantio, neque prædicta officia admisisset, neque ei fuissent commissa.

Tandem difficultas contra exponentem augetur ex litteris narratiuis duarum dispensationum Curię Ecclesiasticæ, ex quibus apparet Bartholomæum Alegre, & Gabrielem Alegre fuisse fratres patrueles, & eundem Bartholomæum habuisse alium fra-

trem,

trem patruelem, vocatũ Ioannem, dictus autem exponens in articulo vicesimo secundo suæ cedulæ allegauit, Bartholomæum, *& Gabrielem fuisse fratres procreatos à Ioanne primo*, quod contrarium est dictis dispensationibus, & forsam erant fratres patrueles, quia erant filij ex fratribus, qui ex Loco de Balbona se contulerunt in dictum Locum de Villarroya, prout plures testes attestantur, & aliqui eiusdem familiæ, vt diximus *cumque dictus exponens, neque aliqui ex eius ascendentibus in dicto Loco de Villarroya gauisi fuerit priuilegijs Militum, & Infantionum potius omnes dictæ familiæ* de los Alegres, *tamquam homines conditionis, & signi seruitij fuerint habiti, & reputati*, merito dictum exponentem non fore, nec esse Infantionẽ declaramus venit, & aliàs atten. conten.

Sig†num mei Iosephi Iubero, Scriba Mandati suæ Maiestatis, ac Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateque Regia, per totam terram, & dominationem Domini nostri Regis publici Notarij, qui huiusmodi vota, & opiniones, à regestro, siue libro Regij Consilij Ciuili, de anno supradicto, vbi continuata existunt, extraxi, & cum eodem bene, & fideliter comprobaui, in quorum fidem, & testimonium hoc meo solito signo signaui. Constat de suprapositis, vbi legitur dictum Thomam Alegre exponentem, & Ioannem Alegre minorem fuisse Iustitiam, & Iuratum, & iterum signaui.